Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fidi. Saul irascitur: cum populus iudaicus
tandem in fine penitentia compungitur. De
qua ira psalmista loquitur. Irascimini et
nolite peccare. Saul ipse in ramatha ab-
iit. cum populus iudaicus post multa preuaricati
onum discrimina ad cor redit. Usque ad
cysternam magnam que est in socoth uenit.
dum fluentum illud legis et prophetie ablato
cordis sui uelamine intendit. Ubi sint
samuel et dauid interrogat. dum per prophetie eloquia
christi mysteria replicat. Dauid et samuel
in naioth esse audit. et ipse in naioth abiit.
cum christum et prophetiam in ecclesia esse recognoscit.
et ipse prophetie eloquia et christi mysteria in ecclesia requirit.
Fit super eum spiritus domini. quia spiritus ueritatis spiritum ab
eo repellit perfidie et falsitatis. Ingrediens
per fidem. ambulat per dilectionem. et prophetat
eternorum bonorum remunerationem. usque dum ue
niat in naioth. ad eterne pacis pulchritudi
nem. Uestimentis suis se exspoliat. quia omnem
illam cerimoniarum legalium inmundiciam
a se propulsat. Cum ceteris prophetat.
quia cum omnibus christiane fidei cultoribus christi
mysteria concelebrat. Cecidit nudus tota die il
la et nocte. quia christo tam seruit in prosperitate et
aduersitate. Tota die illa et nocte cecidit.
quia christi passionem et resurrectionem debita ue
neratione excolit. Tota die et nocte cecidit.
cum usque ad finem seculi a laude christi non desistit.
Unde exiit prouerbium. quia conuersionem populi iudaici
tunc incipient loqui ora omnium gentium.

Cap. XX

FUGIT autem dauid de naioth que erat in
ramatha. ueniensque locutus est coram iona
tha. Quid feci? Que est iniquitas mea. et quod pec
catum meum in patrem tuum. quia querit animam
meam? Qui dixit ei. Absit a te. Non morieris.
Neque enim faciet pater meus quicquam grande aut par
uum. nisi prius indicauerit mihi. Hunc ergo celauit me pater
meus sermonem tantummodo. Nequaquam erit istud.
Et iurauit rursum dauid. Et ille ait. Scit
perfecto pater tuus. quia inueni gratiam in oculis
tuis. et dicet. Nesciat hoc ionathas. ne forte contristetur.
Quinimmo uiuit dominus. et uiuit anima tua. quia
uno tantum ut ita dicam gradu ego morsque di
uidimur. Et ait ionathas ad dauid. Quodcumque
dixerit mihi anima tua. faciam tibi.

DAVID de naioth fugit. cum christus synago
gam in pulchritudine legis habitantem
deserit. Ueniens coram ionatha loquitur. cum ordinem
propheticum per spiritum sanctum de suis mysteriis instruendo
alloquitur. Quid feci. et que est iniquitas mea. et pecca
tum meum in patrem tuum. quia querit animam meam? Ipse
inquit meus quid feci. aut quid molestus fui tibi? Hee
iste interrogationes. hec sunt filii dei ad populum iu
daicum per legem et prophetiam excusationes. Pater ordi
nis prophetici. ipse populus iudaicus fuit. qui christi animam que
rit. in quo nullam mortis causam reperit. Ionathas
respondet. absit. non morieris. Neque enim faciet
pater meus quicquam grande uel paruum. nisi prius indica
uerit mihi. Hunc ergo celauit me pater meus sermonem
tantummodo. Nequaquam erit istud. Hic ordo propheticus
filio dei. Absit ut moriaris. quia etsi crucifiga
ris. et quasi mortuus sepeliaris. in maiestatis ta
men tue potentia humanitatem tuam resus
citabis. et de salute gentium in eternum triumphabis.
Pater meus celestis grande uel paruum non facit. nisi prius mihi
indicet. Grandis enim est euangelii predicatio. par
ua est legis institutio. Hunc tantummodo sermonem pater
meus me celauit. quia mundi redemptionem. et euangelii
predicationem in carne me expectare non concedit.
Illud nequaquam erit. quia quicquid uetus testamentum de
te predicit. tue incarnationis mysterium per omnia con
summabit. Quid enim per adubium istud negatiuum ue
tus testamentum designet. in superioribus expositum in
uenitur. ubi populus samueli contradicens. regem se ha
biturum protestatur. Ionathas dauid rursus iuramentum
facit. quia post iuramentum legis. filio dei prophetie iuramen
tum accedit. Et ille ait. Scit perfecto pater tuus. quia
inueni gratiam in oculis tuis. et dicet. Nesciat hoc
ionathas. ne forte contristetur. Quinimmo uiuit